

LEO XIII

SOBRIETATEM VICTUS DESCRIPT ET COMMENDAT
DUM INGLUVIEM VITARI HORTATUR

Parco ac tenui victu contentus ingluviem fuge

Ad Fabricium Rufum

EPISTOLA



UC victu immunem morbis et robore vitam
Ducere florentem possis, sermone diserto
Sedulus Hippocratis cultor rigidusque satelles
Hæc nuper præcepta bonus tradebat Ofellus ;
Multæ et de tristi ingluvie gravis ore locutus.
Munditiae imprimis studeas ; sine divite cultu
Mensa tibi, nitidæ lances et candida mappa.—
Albana e cella jubeas purissima vina
Apponi, exhilarant animos curasque resolvunt ;
Sobrius at caveas, nimium ne crede lyaeo,
Neu crebra pigate calices perfundere lympha.
E munda cerere atque excoctos delige panes.—
Quas gallina dapes et bos agnusve pararint,
Sume libens, firmandis viribus utilis esca ;
Sint teneræ carnes ; instructaque fercule spissum
Non jus vel siser inficiat, non fæcula æoa.—
Tum laudata tibi sint ova recentia, succum
Lento igne aut libeat modicis siccare patellis,
Sugere seu mollem pleno sit gratius ore ;
Atque alios sunt ova tibipercommoda in usus
Neve accepta minus spumantis copia lactis
Nutrit infantem ; senior bene lacte valebis ;
Nunc age, et ærei mellis cœlestia dona